



1729.

Rosencamp, Videlicus : Investigatione pollicitationes

1735

1. Hammgiessens, Iustus Christophorus : No receptu rerum miserabilium. II

2. Pagenstecher, Henricus Theodorus : Oratio decepta,
majestatis iniurie, cum magistratum academicum
in altera Nordburgensi solemniter suscepere.

1737.

Pagenstecher, Henricus Theodorus : Balis de regali alluvio-
nrum insularumque in flumine publico natussum
jure, cum Hieronymum Bligkist . . . in uniu-
ersitate Iuris utriusque Doctorum solemniter cap-
aret?

1744.

Pagenstecher, Iacobus Alexander Justinus H. T. F. :
De emendatione legum per transpositionem verborum

1748.

van den Marck, Fr. M. : *Voraria Tatius
universi eum primo juris naturalis principio.
Editio altera 1755.*

1757.

Eichmann, O. L. ab. Scheria de Mesomarchia quoniam
dem Neomarchia dicta.

1752.

1. Schlegenthal, Historicus Tollerps : *De originibus
legitimarum et iniuriarum leg. Facienda inter-
pretatione protestantum introducere.*

2. Schlegenthal, Historicus Tollerps : *De iurisdictione
curialis, seu imperio nostro.*

3. Schlegenthal, Historicus Tollerps : *De vocibus juris
dictioris et imperii in genere.*

1758.

1. Schlegenthal, Historicus Tollerps : *Res organica pecuniam*

M 22

Datæ, sive Dissertatio juri Savio ad l. ab. & d. de cond.
cess. dat.

2. Sybel, Iacobus Martinus Wilh: De dominio et usurpatione
1760

Lichmann, O. L. ab: De fœtido personæ
1763.

Schlegenthal, Fridericus Gottsperius: De aequalitate preti
in contractibus servanda.

1764

Lichmann, O. L. ab: Tractat de iure Germanico civili
omnibus libibus in foro obvenientibus sufficiente

1765.

Wessem, Hermannus Gerardus: De usu l. y d. in diuina
et regulis iuris antiqui

1770.

1. Schlegenthal, Fridericus Gottsperius: De eo, quod pars
est, circa animum in rei hereditate possessione

2. Schlegel et al., Iuris Consuetudinis
juri illi concessis ad incrementationem consequen-
tiam, qui per accessionem industrialium domi-
nium rei suae amiserit.

1776.

Greville, Christopher Bonner: De anno clancoris

1777.

Gremister, Basus F. Tersano: De communione
bonorum inter conjuges legitima mutata somptu-
non sublata.

1781.

Gremister, Dr. F. Tersano: Observations juris
cum indicie praetractionum in eam semestri hie-
mali habendarum.

10
RES ERGA PECVNIA M
DATA,
SIVE

1755/1
DISSE^TRAT^O
IVRIDICA

AD
L. VLT. DIG. DE COND.
CAVS. DAT.

QVAM
DIVIN^O ANNVENTE NVMINE,
PRAESIDE
FRIDERIC. GOTHOFR.


I. A. F.
SCHLEG^TE^DAL


ICTO ET ANTECESSORE,
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT
FRANC. CHRISTOPH. PORTMANS

GELRIENSIS
DIE **IX** MENS. AVL^A. M. D.C.C. L.V.
H. L. Q. S.

* * * * *
DVISBVRGI AD RHENVM
TYPIS IOH. SEBAST. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.







DISQVISITIO
AD
L. VLT. D. DE CONDICT.
CAVS. DAT.

§ I.

Juris gentium conuentiones quaedam actiones pariunt, quaedam exceptiones. Ita Vlpianus in *L. VII. pr. D. de pact.* nuda pacta a contractibus discernit; atque simul in §. 1. 2. 4. latius monet, contractus quidem continere causam, iure ciuili validam ad actionem producendam, nuda pacta vero tali causa destitui, atque hinc sua natura solam exceptionem parere. Contractus itaque erit pactum continens causam, siue conuentio sua natura

A

habi-

habilis ad actionem producendam: E contrario pactum nudum erit conuentio, quae causa destituitur, caetera. Contractus sunt aut nominati aut nec nominati. Piores sunt, in quibus ins ciuale singulis speciebus singularem ac propriam formam tribuit, vnde nomen legitimum et actio peculiaris nomini conformis oriuntur. Postiores sunt, quos leges non nisi contractus esse voluere, vnde aliud nomen ipsis non dedere, quare etiam vna tantum actio generalis ex illis qua contractibus oritur. vid. latius Noodt. *de Pact. cap. IX.*

§. II.

Quamvis vero pacta nuda sua natura nunquam actiones sed solas exceptiones pariant: aliquando tamen accidit, ut vel ex confirmatione Legis speciali actionem producant, vel actionem ex contractu oriundam forment. Vnde differre etiam pacta nuda a se inuicem constat. Et de priore quidem specie scil. pactis legitimis nihil addimus: de posteriore autem, nempe pactis, quae contractibus aliquando adiiciuntur, ideo nonnulla monere debebimus, quia ex his potissimum noster textus explicari potest. Aliud autem hic in contractibus bonae fidei, aliud in contractibus stricti iuris obtinet: In his desideratur tum pacta in continentia fuisse adiecta, tum obligationem per illa minui, ut hoc ex stricta eorum natura et *L. IV. §. vlt. D. de pact. L. XI. §. 1. D. de reb. credit.* ac maxime *L. XL. eod. tit.* recte colligeres. In illis vero sufficit, pacta in continentia adiecta esse; immo ne hoc quidem requiritur, si ad substantiam contractus pertineant, quasi tum priore contractu rescisso nouus initus videatur secundum *L. VII. §. 6. D. de pact.* Insunt vero haec

haec pacta contractibus, id est, partem contractuum constituant; atque hinc actionem ex contractu oriundam formant, siue efficiunt, ut actio ex contractu etiam ad pactum implendum detur. Pactum vero illud in continentis adiectum esse videtur, inter quod et contractum nullum aliud negotium intercessit; siue ante contractum conuenierit, siue inter contrahendum placeat, siue post modicum temporis intervallo adiiciatur. conf. etiam hic Noodt. all. L. cap. XI. XII.

§. III.

Nihil vero hoc refert, quale illud pactum fuerit. Etenim ipse contractus per pactum ipsi adiectum rescindi potest, ita ut ad rescissionem ex ipso contractu agatur secundum rescripta D. Seueri et Antonini L. IV. pr. D. de Leg. commiss. et si antea nonnullis placuerit, praescriptis verbis hic potius agendum esse secundum L. VI. D. de rescind. vend. Illud tamen utique requirimus, ut substantia contractus adsinatur; neutrum enim etiam haec per pactum adiectum tolli possunt. Sic v. c. locatio conductio ad sui substantiam desiderat veram mercedem. Si ergo uno numero rei alicuius momenti locatio inita fuerit, negotium illud non locationis conductio sed donationis iure censemitur ex L. XLVI. D. locati. Locatio enim magis a contrahentibus facta quam reuera inita est. Idemque obtinet, et si post tempus demum aliquod substantiae contractus contrarium fieri placuerit. Tunc enim ad illud usque tempus contractus initus saluus manebit. Si mulac autem pactum effectum fortitur, etiam contractus ipse substantia ipsius sublata tollitur. v. c. depositum est contractus, quo sola rei custodia alicui committitur. Si ergo pa-

Etum adiectum sit de usu rei depositae communicando in certum tempus: statim cum pactum hoc effectum sortitur, tollitur depositi contractus; eiusque in locum mutuum aut commodatum succedit L. I. §. 34. D. depos. L. IX. §. vi. L. X. D. de reb. cred. Neque his obstare videntur ea, quae alii ex L. XXIV. L. XXVI. §. i. L. XXIX. §. i. D. depos. opponunt, quibus addunt, quod initium contractus saltim eas vires habere debet, ut deinceps paulum a naturalibus contractus recedi possit, salvo nihilominus contractu. Verum cum hic de mutatis contractus substantialibus actum fuerit: adaparet vires initii tantas esse non posse, per quas illi sublati contractus fernari posset; et ad L. L. oppositas commode respondetur, ibi non illud dici, pactum usus deposito inesse, verum hoc de solo pacto usurarum affirmari, quod substantiae depositi non erat contrarium; nam quod magis est, additur etiam in illis capitibus, pactum usus notissimos depositi terminos excedere.

§. IV.

Idem quod in caeteris bonae fidei contractibus, etiam in emtione venditione obtinebit. Inerit igitur eidem pactum in continentia adiectum, modo substantialiam contractus huius non euertat; ita etiam ut pacto rescissorio adiecto, ex ipso contractu ad eum secundum hoc pactum rescindendum agi possit, sicuti id ex addictione in diem et lege commissoria adaparet. Neque enim talia pacta contra substantialiam contractus esse putauere. Contrarium vero omnino dicendum erit, quando substantialia emtionis per pactum adiectum tollitur. Quod vero haec circa consensum, mercem et pretium versetur, aequre vulgo notum est, ac etiam reliqua fere omnia, quae

¶ (1) ¶

3
quae circa haec ICti nostri ad validitatem huius contractus
desiderarunt.

S. V.

Sunt tamen aliqua, de quibus non inter omnes conuenit. Inter alia quaeri solet, an necessarium sit in hoc contractu conuenire, ut res tradatur: et quid hinc de illa conventione sentiendum, ut Titius accepta certa pecuniae summa Meium fundi Tusculani *dominum efficiat*. An haec sit emtio et venditio, an vero potius aliis contractus? Differre enim haec, tradere et dominum efficere, infra videbimus. Putant aliqui hanc quaestionem proponi et decidi in nostra *L. vlt. D. de condic̄t. causa dati*. Eminet inter illos ex antiquis Azo et alii allegati a Fanchiseo *Controuersi. lib. II. cap. 59.* assensi illis etiam nostro aevo plures ac illustres ICti. Neque nobis haec sententia displicet; etsi rationes ab aliis allatae nobis non omnino satisfaciant. Non veremur ergo frequenti Interpretum ad hanc legem senatui etiam nostra addere: non quidem ac si confidamus, nos diffici huic textui prae aliis lucem adlaturos: sed potius ut nostro etiam tentamine aliis ulterius forsitan inquirendi fiat occasio. Quatenus autem verum huius *L. sensum* assecuti fuerimus, penes aequum Lectorem esto iudicium.

Verba nostri capit is sunt sequentia.

Celsus Lib. III. Digestorum.

Dedi tibi pecuniam, ut mibi Stichum dares, utrum id contractus genus pro portione emtionis et venditionis est? an nulla hic alia obligatio est, quam ob rem dati re non secuta? in quo proclinius sum, et ideo si mortuus est Stichus, repetere possum;

A 3

quod

quod ideo tibi dedi, ut mibi Stichum dares. Finge alienum esse Stichum, sed te tamen eum tradidisse; repetere a te pecuniam potero; quia hominem accipientis non feceris; et rursus si tuus est Stichus, et pro euictione eius promittere non vis, non liberaberis, quominus a te pecuniam repetere possim.

Et haec quidem Celsus in textu hoc satis difficulti, quin si obiter inspicias fere desperato. Nos vero vt in eo explicando certiore procedamus via: primo loco ex ipsis eius verbis speciem hic tractatam eruemus; deinceps ad quodnam negotium ea sit referenda videbimus; tandem etiam aliud sententium opiniones examinare conabimur.

§. VI.

In constituenta huius L. specie iam antea diximus, Azoni nos assentiri, qui putauerat, conuenisse ibi, ut alter in alterum rei alicuius dominium transferret. Conuenerat nempe, ut mibi Stichum dares. Dandi vocabulum duplificem admittit significatum. Improprie et latiori sensu usurpatum pro quacunque traditione. Exemplum adest in L. V. §. 1. D. de praeſcr. verb. collata L. I. pr. D. de verum permitt. Idem constat ex L. I. §. 1. D. eod. Tit. Vti et ex L. IV. pr. D. de usur. in qua tamen singularem rationem hoc postulasse ostendit Fr. de Roye in *Dissert. ad banc L. IV. §. 5. in thesauro Iurisprud. Rom. Tom. II. p. 736. b.* Proprie vero denotat dominium transferre. Et sic etiam in nostra L. ea vox est accipienda, cum nihil adsit, quod improprius eam accipi suadeat. Praesertim cum Celsus Proculeianus adeoque proprietati verborum maxime studens follicite et ubique in nostro textu vocabula dandi, tradendi et accipiendo a se inuicem distinguat;

ac

¶ (2) ¶

ac praeterea verba, quibus conuentiones conceptae, prae caeteris proprio interpretari debeamus: atque hanc contrahentium mentem hic ex voce dandi colligi, ipsa verba L. darent, secundum quae necesse est, dominium transferri, quod certe ex nulla alia re quam voce dandi a contrahentibus adhibita colligi poterat.

§. VII.

Ita specie L. constituta, quaeritur ad quod negotium ea sit referenda. Proponit eam quaestionem Celsus his verbis: *Vtrum id contractus genus pro portione emtionis et venditionis est? an nulla: caet.* Quaeritur hoc loco, quid illis verbis sibi velit ICtus, pro portione emtionis et venditionis est. Nos in insolenti hac atque inusitata loquendi formula explicanda praetermissis aliis eos sequimur; qui ita interpretantur, *pro parte ad emtionem et venditionem pertinet.* Hoc enim et proprietati verborum conuenit; et praeterea per sequentia adiuvatur; dum additur, *an nulla hic ALIA obligatio est.* caet. Conf. Gothofr. Not. ad noſtr. L. vlt. Hoc scil. quaerere videtur Celsus noſter, an non, quia consensus in mercem et pretium adest, pro ea parte et ex ea ratione negotium hoc ad emtionem et venditionem pertineat. Hoc concessio adparebat, substantialia contractus omnia hic adesse, adeoque pactum dandi in continentि adiectum eidem inesse, quia etsi ad substantiam contractus non pertinet, neque tamen eidem est contrarium. Ita his positis. Nihilominus tamen absolute negatur, hoc negotium vlo modo ad emtionem et venditionem pertinere. Eo ipso ergo discimus, non sufficere ad emtionem, vt adsit consensus in mercem et pretium, sed requiri

con-

consensum in mercem erga certum pretium tradendam; et conuentionem dandi siue dominii transferendi substantiae eius aduersari: Tradere vero nihil aliud est ac alterum in vacuam rei possessionem inducere; quam traditionem ita tantum dominium sequitur, si tradens dominus fuit, adeoque ut effectus. Quod traditio rei in hoc contractu sufficiat; praeter alios textus docet *L. XXV. §. 1. D. de contrab. emt.* Quod vero conuentio de re tradenda sit necessaria; ex hac sola *L. vlt. exprefsis verbis conuincimur. Vnde, praesertim quia aliis non idem placuit, operaे pretium fuerit, in rationes huius sententiae paucis inquirere.*

§. VIII.

Nonnulli hic allegant d. *L. XXV. §. 1. vt et L. XXX. §. 1. D. de aet. emt.* ex quibus colligunt, dandi conuentionem notissimos huius contractus terminos excedere. Verum et si in illis dicatur sufficere rei traditionem, neque adeo necesse esse, ut res detur: eo ipso tamen non affirmatur, quod non possit in hoc contractu conuenire, ut res detur, cum certissimum sit, illa quae naturaliter contractui non infundit, neque in eo sunt necessaria, nihilominus per pactum in continentि eidem adiici posse, modo substantia maneat salua secundum *L. XI. pr. D. de aet. emt.* Nobis ergo ratio, cur pactum dandi contractui huic sit contrarium, in favore contractuum nominatorum praecipue emtionis querenda videtur. Quod Leges maxime omnibus contractibus nominatis faueant ostendit singularis forma omnibus tributa et ex singulis concessa actio. Praecipue vero hunc favorem, quantum ad emtionem venditionem attiner, postulabat eius contractus

tractus necessitas, dum per eam fere solam commercia inter homines sustinentur, vid. L. I. pr. D. de contrah. emt. Quare etiam de hoc contractu, et si iuris gentium sit, nihilominus plurima speciatim constituta reperiuntur. Pertinet autem ad effectus huius fauoris, quod emitio non patiatur conventionem dandi, quippe quae difficillimum faceret huius contractus exitum. Primo enim vendor rem tradens, ut ostenderet se secundum legem contractus dare, dominium suum probare deberet; quae probatio cum in iure nostro difficillima censeatur, omnino efficit, ut huic contractui, hoc pacto adiecto, facile satisficeri nequeat: ob quam rationem iam Fr. de Roye *Dissert. ad L. IV. D. de Pjur. §. 2. in Tbeaur. Iurispr. Rom. Tom. II. p. 736.* g. putauit dominii transferendi necessitatem regulariter huic contractui non inesse. Amplius vero finge, rem aliquam ex opinione contrahentium daram fuisse, quae nihilominus postea a vero domino superueniente euincitur: ex post facto adparet, conditionem dandi impletam non fuisse. Quaeritur ergo, quid a venditore fieri oporteat? In locum quidem traditionis qua facti succedit obligatio ad id, quod interest, ex L. LXXII. pr. D. §. vlt. *Infl. de verb. oblig.* Idem vero de obligatione ad dandum afferi non potest: cum ea hoc loco obligationi ad facendum opponatur, et neutiquam idem de illa, quod de hac constitutum inueniatur, quae tamen sic effectu inspectu vix different. Nihil ergo aliud superesse videtur, quam ut alter pecuniam pro re danda acceptam restituat, et sic contractus rescindatur. Quod ipsum etiam sibi placere, contrahentes ta-

site innuerunt: dum pacientes, ut res daretur, obligacionem in id, quod interest, ex traditione oriundam sibi displace cere ostenderunt. Quoniam itaque hic contractus contra naturam et fauorem contractuum nominatorum praecipue emtionis difficilis impleri et facillime rescindi potest: hinc Celsus noster recte censuit, illum potius ad contractus nec nominatos, quibus maxime est similis, quam ad emtionem referri debere.

§. IX.

Neque his, quae de facili rescissione huius contractus dimicimus, obstat; quod alii contractus, qui conditionem dandi adiectam habent, v. c. stipulatio dandi, ea non impleta similiter non rescindantur. Differt enim hic venditio ab aliis contractibus. In his enim v. c. in stipulatione dandi, in rei non datae locum succedit aestimatio eius secundum L. XCVIII. §. vlt. verf. non est his D. de solut. At in venditione pretium erat aestimatio rei, adeoque per eius praestationem, quae hic necessaria esset, eo ipso contractus rescinderetur. In omni enim obligatione in locum promissi, quod praestitum non fuit, succedit eius aestimatio in pecunia numerata consistens. Haec est vel rei, quae et pretium, vel facti, quae proprie id, quod interest, adpellatur L. LXXII. pr. D. collata §. vlt. Inß. de verb. oblig. Dandi vero obligatio in hac materia rei non facti nomine venit; ideoque ad obligations certas refertur, in quibus id, quod interest, non venit secundum L. LXXV. §. vlt. D. collatis §. 7. eiusd. L. et §. vlt. Inß. eod. tit.

tit. et si alias saepe etiam ipsa datio sub nomine faciendi con-
tineatur ex L. CCXVIII. D. de V. S.

§. X.

Ex hac fortassis ratione Celsus ita propositam quaestio-
nem decidit. Atque eadem sententia pluribus aliis Ictis pla-
cuisse videtur. Quod primo ex eo colligimus, quia a nemini
adprobatum fuit pactum dandi in emtione venditione;
cum tamen alias etiam minutiora pacta contractibus nomina-
tis adiici solita sollicite recensuerint, immo quod magis est,
circa emtionem venditionem praecipuis pactis speciales tituli
in Digestis sint dicati. Quia tamen etiam hoc pactum exce-
pta nostra L. expresse non reprobatur: coniicimus, Populum
Romanum rarius hoc pacto usum eo ipso tacite indicasse,
sibi illud displicere. Verosimile enim fit, ipsos etiam contra-
ctus nominatos usui huic frequenti originem debere, vt et
ideo praecipue pacta nonnulla contractibus valide adiici pot-
uisse, quod ciues iisdem in contrahendo saepius usi fuerint.
Amplius vero pactum dandi in emtione non adprobari colli-
gimus ex L. XI. §. 2. D. de aet. emt. Ibi enim non simpli-
citer sed cum emphasi *in primis* ad vendoris officia refertur,
rem tradere; quod eo magis ex ipsa emtionis substantia peti-
tum videtur, cum caetera omnia §. 2. recensita sine dubio ad
substantiam huius contractus pertineant. Denique idem
colligi posse videtur ex saepius allegata L. IV. pr. D. de usur.
Papinianus ibi ita interpretatur stipulationem dandi emtioni
adiecatam, ac si de re tradenda fuisset concepta. Ex sola hac
impropria interpretatione iam colligi posset, pactum dandi a

substantia emtionis alienum esse; cum alias communes interpretandi regulae velint, praesertim verba stipulationum propriæ accipi. Confirmat vero haec allegata ratio: *quia non est verosimile, plus venditorem promisso, quam iudicio emti præstare compelleretur.* Quia enim hoc de omni venditione generaliter affirmatur, quod vendor indicio emti ad dandum non compellatur: non immerito colligimus ex eo, hoc esse contra eius substantiam. Quoniam alias haec ratio minime firma esset; dum non ita ab omni veri similitudine abhorret, ea, quea per pactum contractui inesse possunt, per stipulationem eidem adiecta fuisse.

§. XI.

Opponunt vero his illa Pauli Sent. Lib. I. Tit. XIII. §. 4. *Si id quod emtum est, neque tradatur, neque mancipetur: vendor cogi potest, ut tradat aut mancipet.* Ex quibus colligunt, minime ad substantiam emtionis pertinere conventionem de re tradenda; immo potius venditorem saepe cogi, ut rem mancipet, i. e. dominium eiusdem transferat; adeoque hanc conventionem minime huius contractus substantiam euertere. Ita quidem illi. Verum nobis hic falso suppositum videtur, rem mancipare esse dominium eiusdem transferre. Contrarium enim secundum L. LIV. D. de R. I. euicit Cl. Schulting. in *Iurispr. Ante Iust. ad Pauli Sent. Lib. II. Tit. XVII. §. 3. not. 8.* dum ibi latius ostendit, rem alienam mancipari alteri a non domino potuisse. Est nempe mancipatio rerum corporalium mancipi certis ritibus perficienda venditio cum solemní earum traditione coniuncta.

Effe.

Effectus illius quidem est translatio dominii Quiritarii: verum non alio modo ac per traditionem ex causa res in bonis alicuius esse incipit; vtrumque enim non semper sed positis terminis habilibus contingit. Igitur non mancipatio ipsa, sed effectus illius est dominii translatio. His adde, per cessionem in iure non semper in cessionarium rem incorporalem sive ius reale translatum fuisse secundum exempla §. penult. Inst. de usufr. L. LXVI. D. de iur. dot. quae tamen cessio non alia in re a mancipatione videtur differre, quam quod haec sit rerum corporalium, illa vero rerum incorporalium. Paulus ergo dum Tit. XIII. praeter traditionem mancipationis meminist; non aliud spectauit quam antiquam differentiam rerum mancipi et nec mancipi; ut in illis mancipationem ex parte vendoris desideraret, qua dominium Quiritium transferre possit, in his vero traditionem solam requireret, quae sufficiebat ad dominium bonitarium transferendum: non autem eo ipso docuit, necessitatem dominii transferendi huic contractui conuenire. Caetera nos inf. §. 7. solius traditionis mentionem fecimus, quia Iustinianus differentiam rerum mancipi et nec mancipi simul cum mancipatione et dominio Quiritium sustulit: cum secundum ins antiquum utique mancipatio traditioni iungi debuisset. Conf. hic L. XI. §. 2. D. de act. emt. L. XXVIII. L. LXXX. §. 3. D. de contrah. emt.

§. XII.

Vidimus itaque, quod species nostrae L. ult. ad emtionem non pertineat, vidimus etiam huius rei rationem-

B 3

Quae-

Quaeritur vero amplius, ad quodnam ergo negotium ea sit referenda? Celsus quidem ita: *an nulla hic alia obligatio est, quam ob rem dati re non secuta? in quod procluior sum.* Est ergo contractus innominatus. Neque dubitamus accedere Basilicis, quae in hoc capite habent; *δύο οὐσία πρότις, αλλα ἀντελλαγή permutatio.* Permutatur enim hic Stichus erga pecuniam; quam etiam permutatio admittit, modo non adsit emtio venditio *L. I. D. de ver. permut.* Praeterea recte quidem Merillius *Obl. Lib. II. Cap. 13.* docuit, quod ad similitudinem emtionis etiam in permutatione sufficiat rei traditio arg. *L. I. D. de contrab. emit.* Verum ex eo nondum colligi potest, neque pacto conueniri posse, vt res permutanda detur. Huc usque enim extendenda non videtur horum contractum similitudo, qui in caeteris maxime discrepant, cum omnes rationes, quae in emtione non admitti hoc paectum suadebant, in permutatione prorsus cessent; adde, quod permutatio si non vnicam certe nobilissimam speciem contractus innominati, do vt des, constituat ex *L. V. §. 1. D. de Praefcr. verb.* ideoque maxime sit verosimile, validum esse in ea paectum, quo conuenit, vt vere et proprie res detur. Admittit ergo permutation, vt contractus bonae fidei, paectum rei dandae in continent adiectum. Etsi vero omnes contractus innominati sint eiusdem naturae; duo tamen hic singularia colligimus ex eo, quod hic adsit permutation; nempe quod hic contractus sit bonae fidei, et quod ex illo sine aliquo dubio nascatur actio praescriptis verbis.

§. XIII.

Non erit ergo in proposita specie paectum nudum. Et si enim ex eo etiam detur conditio causa dati *L. VIII. Cod. de*

de condic.^t. ob caus. dat. atque eius solius mentionem hic Celsus fecerit: non tamen ideo excludere voluit in hoc negotio actionem praescriptis verbis. Meminit enim condicione tantum, ut eo magis adpareret differentia huins contractus et emtionis, in qua posteriori nullus omnino locus huic condicione remanet. Neque etiam opus erat actionem praescriptis verbis hic recensere: cum sub hoc titulo de contractibus rescindendis non implendis ageretur; idque eo magis cum Ictus in hoc capite ea sola proponat, quae ad contractum rescindendum tendunt, atque illud tantum disquirat, an ad eum finem actione emti an vero condicione agi debeat. Referri autem hanc speciem ad veros contractus oportere, ea quae adest vltro citroque obligatio ex L. VII. §. 2. D. de partibus satis euincit. Alii ergo hoc solum negarunt, adesse hic permutationem; quia Ictus non meminit actionis praescriptis verbis. Verum sic fictum illud dubium non tollitur, cum ex omni contractu aliqua oriatur actio ad illum implendum, quae ex illorum sententia recenseri omnino debuisset. Forte etiam obligatio ob rem dati re non secura hic non condicione dati repetitoriam, sed in genere omnem obligationem ex contractu innominato notat: quod tamen, quia similem locutionem alibi non inueni, obnixe nolim defendere.

S. XIV.

Ex hac iam decisa generali quaeftione tres singulares deciduntur. Etsi enim alii eas vt rationes generalis decisionis considerent: attamen et verba et res ipsa haec pati non vindentur. Prima sequela his verbis proponitur, et ideo si mortuus est Stichus, repeteſe poffum, addita ratione quod fuisse quia
ideo

ideo tibi dedi; vt mihi Stichum dares. Facile adparet, requiri, Stichum ante traditionem esse mortuum. Postea enim consummatus contractus nullum amplius rescissioni locum concedit. Antea vero non obstat regula, quod debitor speciei interitu illius liberetur. Adiuncta enim reddendi obligatio et datus poenitentiae locus efficit, vt vere debitor certae speciei non sit; et sic liberationem impedit, quin potius alteri regulae locum facit, res quaeque perit suo domino. Particulam *quod* hic per quia interpretati sumus; quoniam illam loco pronominis relatiui ad pecuniam referri insolens videbatur. Secundum consequaneum adiungit ICtus: *finge alienum esse Stichum, sed te tamen eum tradidisse; repetere a te pecuniam potero, quia hominem accipientis non feceris.* Scilicet contractus requirebat, rem datam esse; quod traditione rei alienae factum non erat. Tertio et ultimo loco ICtus ait: *et rursum si tuus est Stichus, et pro euictione eius promittere non vis, non liberaberis, quoniam a te pecuniam repetere possim.* Quia praeter dominium reuera translatum etiam securitatem super ea re alter desiderare poterat. In secunda et tertia decisione differt hic contractus ab aliis nec nominatis, quia hi quidem statim post traditionem impleti sunt, et sic rescindi non amplius possunt: nostrum vero negotium et si re tradita, implementum tamen non est, antequam de dominio translato constet, vnde etiam tam diu rescissioni locus relinquitur.

§. XV.

Cum igitur nostra *L.* vlt. de emtione venditione non agat, neque illi contraria sunt ea iuris capita, quae de emtione

ne

ne loquuntur. Neque ergo obstat illi *L. V.* §. 1. *D. de praescript. verb.* Ibi enim pecunia erat data, ut res accipiatur. Et si vero vox accipendi generalis sit, quae et dationem et nudam traditionem sub se continet arg. nostrae *L. vlt.* quae loquitur de homine ita tradito, ut *accipientis* non fiat: hic tamen secundum contractus subiecti substantiam utique traditionem denotare debet. Praeterea neque ultima pars *L. V.* §. 1. nostrae *L. vlt.* aduersatur. Alii enim notarunt, quod illa dicat periculo accepturi hominem esse, tantum quod ad actionem praescriptis verbis adinet, atque ideo etiam addi de praefixa culpa: haec vero contrarium adfirmet intuitu conditionis causa dati. Ill. Noodt. *Probab. Lib. IV. Cap. V.* distinguit inter conditionem ex causa morae et ex causa poenitentiae per *L. III. D. de condic. caus. dat.* quod etiam admitti potest.

S. XVI.

Siquidem vero haec explicatio minus placeat: poterit fortassis ipsa Legis nostrae species ad emisionem referri; modo notemus, et Celsus Proculo addictum fuisse, et hic omnes tales quaestiones proponi, quae tendunt ad rescindendum contractum. Causa vero rescindendi erat pactum danni contractui adiectum secundum partem posteriorem §. 8. Quaerit ergo Celsus, an pro ea parte, qua agitur ad rescindendum contractum, actione emti an vero alia sit agendum. Quod posteriorius Celsus Proculeianus secundum sectae suae principia affirmare debebat: immo in eo adhuc maiorem ri-

C

gorem

gorem sequitur ac Paulus in *L. VI. D. de rescind. vend.* quod conditionem causa dati concederit: conf. §. 3. in pr. Compilatores vero Iuris nostri hanc *L.* et si per *L. IV. D. de L. commiss.* abrogatam, aequa tamen ac all. *L. VI.* in Digesta retulere, obscurius forte proposita Pauli et Celsi disputatione decepti. Ut tamen dicam quod sentio, opus non videtur ita numerum antinomiarum quas vocant augere; cum ex superioribus satis fiat vero simile, pactum dominii transferendi substantiae emtionis esse contrarium.

§. XVII.

Neque vero aliis aliorum sententiis possumus accedere, quibus praesertim vocem pecuniae hic varie explicare annisi sunt. Putant enim pecuniam, de qua hic sermo est, a pretio, quod in emtione desideratur, differre. Et primo quidem Accursius alium antiquum interpretem secutus putat in nostra *L. vlt. agi de tali pacto*, vt certa species pecuniae detur: cum substantia emtionis ex ipsius opinione requirat pretium generaliter in pecunia numerata nulla expressa specie consistens. Verum neutrum recte. Vocabulum enim pecuniae in nostro textu semper indeterminate ponitur, vnde etiam maxime generaliter interpretandum videtur: illa vero specialis explicatio sola hac praeconcepta opinione et interpretis ingenio nititur. Amplius vero simile non est, conuenire in emtione non posse, vt pretium in certa et determinata pecuniae specie numeretur. Cum enim in certa tantum specie pretium solui liceat; cur non eodem modo conuenire licet, vt in certa tantum pecuniae specie soluatur; cum hacc etiam

etiam usum ac dominium non tam ex substantia praebat,
quam ex quantitate, et nihil in pretio desideretur, quam ut
in pecunia numerata consistat.

§. XVIII.

Corasius itaque et Alciatus defenderunt, pecuniam hic
magis ut speciem et corpus quam ut quantitatem conside-
rari. Cum vero ea sic accepta quantitati opponatur in *L. LI.*
D. de leg. 1. opinantur eam vere pecuniam non esse, et ma-
gis mercis quam pretii vices sustinere. Verum etiam haec
explicatio magis ab auditoribus facta videtur, quam quidem
verbis legis conuenit; cum vox pecuniae simpliciter posita
ex sua natura pecuniam vere numeratam, numeroque solo et
quantitate constantem, non corpus aliquod, ut ita dicam, pe-
cuniosum denotet. Praeterea etiam voce pecuniae ex illo-
rum sententia accepta emtionem valere docet *L. VII. §. 1. D.*
de contrab. emt. vbi emtio contrafacta erat eo pretio, quod in
arca habeo. Quod tamen hic certe si in ullo alio loco ut cor-
pus et species considerari deberet.

§. XIX.

Alii ergo pecuniam incertam hic per vocem pecuniae
indicari putant, et quidem relative incertam. Vere enim in-
certa pecunia figuratum est, et aque unicus numimus ac vi-
cies et septies M. illud Tiberii Caesaris ita voce pecuniae sim-
pliciter posita venire, adeoque de ea specie Ictum egisse
non est verosimile. Relative autem incerta pecunia non vi-

C 2

detur

detur indicari per vocem pecuniae simpliciter positam; saltem ita non videtur pecunia hoc sensu, ut illi quidem putant differre a pecunia numerata, modo conferas *L. CLXXVIII.*
D. de V. S. Adde, huic sententiae, siue vere, siue relative incertam pecuniam concipias, non conuenire, quod negotium hoc fingatur a datione pecuniae incepisse. Saltim Scholastes ad Basilica his prorsus contradicit, dum decem data esse fingit, qui etsi non magnam certe aliquam meretur auctoritatem. Denique etsi in hac specie olim dissenserint ICti, an adsit emtio venditio: Iustinianus tamen affirmando illud decidit §. 1. *Inft. de contrab. emt. conf. L. VII. §. 1. D. eod.* Vnde non putamus e re esse, hic animi causa antinomiana quandam fingere.

§. XX.

Multi etiam putant, in hoc negotio animum contrahentium fuisse, non emtionem venditionem sed contractum innominatum inire, atque ideo dicunt, hic adhibitat vocem pecuniae non vero pretii. Sed neque illam harum vocum differentiam probant. Amplius verosimile non videtur, quod solus contrahentium animus possit ex contractu nominato aliquem innominatum efficere: cum potius ubique substantialia contractus requisita sint spectanda. Neque enim haec eorum sententia probatur ex *L. L. D. de iur. dot. et L. VII. D. de praescr. verb. collata L. XXXVIII. D. de Liber. eaus.* Alia enim ibi aderant impedimenta. Nam in *L. L.* venditio adesse non poterat, cum dos noquid vere constituta

tuta nullo modo ad maritum pertineat. In *L. VII.* vero emtio venditio ideo contracta non censebatur, quia res non erat tradita, ut apud alterum maneret: neque locatio, quia factum manumissionis ad operas mercenarias secundum *L. V.* §. 2. *D. de praescr. verb.* referri nequit.

Tandem generaliter notari potest, quod et si alias vox pecuniae res omnes, quae in patrimonio sunt, aliquando denotet: hic tamen pecuniam numeratam indicare debeat, et quidem tam, quae pretii vicem in emtione sustinere queat. Quia quod ad primum nulla ratio esset, quae ita potius rem datam quam dandam, pecuniam nominari suaderet, cum praesertim in contractu do ut des vox pecuniae stricte accipi soleat ex *L. V. §. 1. D. de praescript. verb.* et aliis, quod praeceteris Celsus fecisse verosimile est, ne Sabinianis argumentum pro sua thesi offerret, ita absurde sane hanc quaestionem pertractans, quibus adde Graecum vocabulum *νομισματα*, quod hic in Basilicis occurrit, latiorem illam significationem non admittere. Quod ad secundum nulla ratio esset, quae non eodem modo in *L. V. §. 1. D. de praescr. verb.* vocem pecuniae accipi suaderet, quae et in reliquis nostrae *L.* conuenit, excepto, quod loco vocis *dandi* vtatur ea *accipiendi*. Vnde etiam ex his differentiae rationem petendam duximus. Adde quod illi falso ex voce pretii non exhibita colligant, in pecunia esse vitium, ob quod hic adesse non possit emtio. E contrario ideo potius pretii nomine vii non potuit Celsus, quia emtio non erat contracta. Pecunia enim in ea intercedens pretium, in reli-

C 3

quis

quis negotiis aliter, veluti vsura, merces, caet. vocatur. Conf
de his sententiis Noodt. *Probab. L. IV. Cap. 4.* et alios.

§. XXI.

Alii igitur non minimae famae ICti omnino desperatum
hoc caput habentes dixerunt, ei sine manu critica subueniri
non posse, atque ita legendum esse; *dedi tibi pecuniam PERE-
GRINAM.* Fingunt nempe ita notis scriptum fuisse, *pe. pec.*
vel peg. pec. amanuensem vero priorem notam reieciisse, et so-
lam pecuniae vocem perperam scripsisse. His addunt pec-
uniam peregrinam mercis non pretii vicibus fungi, et hinc
decisionem nostrae *L.* apertam esse. Etsi vero ita emendant
fidem habere velimus, per notam *pe.* *vel peg.* vocem *pere-
grinam* indicari posse, alia tamen etiam nos ei adsentiri ve-
tant. Primo enim emendatio semper fugienda, si sine ea
textus etsi forsitan minus commode explicari queat. Dein
non semel sed ter hic occurrit vocabulum pecuniae simplici-
citer positum, quod tamen non nisi semel emendari potest:
nihilominus tamen vix est verosimile, Celsum Proculeianum
vocem pecuniae simpliciter sine vlla particula ad antecedentia
relativa pro pecunia peregrina posuisse, cum illa forma
publica non percussa adeoque secundum *L. I. pr. D. de con-
trab. emt.* vere pecunia non sit. Tandem Basilicorum libri
nullam pecuniae peregrinae faciunt mentionem, cum tamen
nulla ipsis esset causa huius vocis omittenda. Cum vero et
hic et antea Basilica eorumque scholia allegauimus, minime
illud ideo fecimus, quod certum ex illis deduci queat argu-
mentum. Constat enim, quod non eadem sit eorum in omni-
bus

bus certitudo, et quod eorum compilatores nimium libertatis sibi circa ICtorum fragmenta in compendium redigenda arrogauerint, quod vel ex hoc capite satis adparet.

§. XXII.

Postremo et illud addendum censimus, quod non putemus, nostram *L. vlt.* omni vsu in foris Germaniae destitutam esse. Si ergo pecunia erga rem dandam fuerit commutata, aderit permutatio non emtio et venditio. Quamvis autem apud Germanos, quibus bona fides et si pertinacia iuncta pluris semper quam iuris subtilitates aestimata fuit, neque in innominatis contractibus poenitentiae locus detur, adeoque tanta non amplius sit inter contractus nominatos et innominatos differentia; non tamen eo ipso, omnis differentia inter emtionem et permutationem simul sublata est in foris nostris. Et ut specialiter notemus ea, in quibus haec species permutationis ab emtione et venditione differt: putamus, etiam hodie, si res aliena data sit, aut de euictione non caueatur, secundum nostram Legem contractum rescindi posse, non quidem ex ratione §. 14. allata, ac si semper contractu nondum impleto rescisioni locus esset, quod hodie cessat; sed quia hunc contrahentium animum fuisse, ex ipso negotio colligimus, secundum ea quae in parte posteriori §. 8. attulimus. Ergo hodie etiam ad illam rescisionem ex contractu ipso praescriptis verbis agi poterit, et si Celsus secundum iuris antiqui principia et *L. VI. D. de ref. vend.* solam conditionem dare potuerit. Interitu vero rei non similiter

con-

contra^{ct}us ille hodie ut olim rescinditur, quia hoc non nisi ex regula illa desueta, quod poenitentiae locus detur, probari potest. Licet vero Celsus voce sola dandi adhibita satis commode hanc conuentionem esse initam indicauerit; non tamen idem ex voce *dandi secundum L. IV. D. de usuris minus ex vernacula geben a contrahentibus adhibitis colligi poterit; sed potius adparere liquido debet, contrahentes de dominio transferendo egisse; quia in contractibus mentem non verba contrahentium spectari oportet.* Rechte ergo quidem alii docuere, vocibus his simpliciter positis, veram emtionem censeri contractam. Non tamen ex eo, ut nobis videtur, inferri potuit, nullum esse amplius huius *L. XVI.* in foris vsum.

T A N T V M.



ADNEXA RESPONDENTIS.

3

I.

Iure Naturali non subsistunt Nuptiae inter adscendentes et descendentes,

II.

Tutor ob latam culpam remotus non fit infamis.

III.

Res omnium communes et publicae non differunt.

IV.

Dominus in re sua non habet usum-fructum.

V.

Seruitus altius tollendi non consistit in faciendo.

VI.

A VI

Contrarium obtinet in seruitute oneris
ferendi.

VII.

Pater mortua in matrimonio filia etsi
liberis superstibus dotem profectitiam re-
ete repetit.

VIII.

Si adsint duo testamenta, neque con-
stet quodnam sit posterius, locus fit suc-
cessioni ab intestato.

IX.

Iuri luendi pignoris non praescribitur
vlo tempore.

X.

Transactio neque ob enormem quam
vocant laesionem rescinditur.


IV

Duisburg, Diss., 1929/81(1)

ULB Halle
004 527 070

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-130191-p0040-2

DFG

B.I.G.

| Inches | | Farbkarte #13 | | | | | | B.I.G. | | | | | | | | | | | |
|-------------|---|---------------|------|-------|--------|------|---------|--------|---------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|
| | | Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black | | | | | | | | | |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | |
| Centimetres | | 2.54 | 4.06 | 5.08 | 6.35 | 7.62 | 8.89 | 10.16 | 11.43 | 12.70 | 13.97 | 15.24 | 16.51 | 17.78 | 19.05 | 20.32 | 21.59 | 22.86 | 24.13 |

*RES ERGA PECVNIAM
DATA,
SIVE* 1755
**DISSERTATIO
IVRIDICA**

AD
*L. VLT. DIG. DE COND.
CAVS. DAT.*

QVAM
DIVIN ANNVENTE NVMINE,
PRAESIDE

FRIDERIC. GOTHOFR.

I. A. F.
SCHLEGENDAL

ICTO ET ANTECESSORE,
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT
FRANC. CHRISTOPH. PORTMANS
GELRIENSIS

DIE IX MENS. AVLI A. M. D.C.C. L.V.
H. L. O. S.

DVISBVRGI AD RHENVM
TYPIS IOH. SEBAST. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.

